



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 28. Templi Lateranensis incendium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Mandatum de inquisitione in Templarios fuit pariter missum in omnes provincias ecclesiasticas : & Cognitores erant diversi. Pro Senonensi provincia Papa constituit Archiepiscopum Narbonensem, Bajocassii, Muniti, & Lemovicarum Episcopos, Matthæum Neapolitanum Archidiaconum Rothomagensis, Joannem Mantuanum Archidiaconum Tridentinum, Joannem Monlaurium Archidiaconum Magalonensem, & Guilielmum Agarinum Præpositum Aquisextanum. Per epistolam cunctis Galliæ Episcopis inscriptam Papa præcepit, ut harum inquisitionum socios ex sua quisque Ecclesia sumerent duos Canonicos, duos Dominicanos, ac totidem Fratres Minores, quos bona fide putarent aptissimos. Dabat 13 Jul. 1308.

Sæcul. XIV.
A. C. 1308.

On. vi
Templ. p. 115

Spicil. to. 10.
p. 362.

§. XXVIII.

Templi Lateranensis incendium.

Interim Clemens Roma nuncium accepit tristissimum. Nocte præcedente diem festum S. Joannis ante Portam Latinam sextum Maji Lateranense templum conflagravit. Ignis e vestiario sacro erumpens evasit in tectum pronai, & consumpsit pæne totum ; dein altare Canonorum, atque concham seu chori locum corripuit. Domus per ambitum omnes.

J. Vill. l. 8.

c. 97.

Rayn. n. 10.

II.

T t 2

inter

Secul. XIV**A. G. 1308.****Bal. 10. 1.****p. 67.****V. Mocurs****Chrét. n. 35.****36.**

ter alias Canonorum aedes combustae sunt: & solum restitit cameratum facellum, quod Sanctum Sanctorum dicebatur. Tabernaculo argenteo, quo tegebatur altare princeps, liquefacto, magnopere metuebatur de ara ipsa, in qua S. Petrus sacrificasse ferebatur. Haec enim ara lignea tantum erat, ut etiamnum est, ac formam arcae habebat, pretiosas continens reliquias. Sed per animosam quorundam pietatem ex incendio erepta in ejusdem templi aedícula Divo Thomae sacra conservabatur munita sigillis trium Cardinalium, Joannis Buccamacii Episcopi Tusculani, Jacobi Columnae, ac Francisci de Urfinis Diaconorum. Romani hunc adversum casum pro divina animadversione habebant: urbs personabat lamentis: fiebant supplicationes publicae ad implorandam Dei misericordiam. Vidisses discordias placari, inimicos redire in gratiam, plurimos utriusque sexus homines poenitentiae signa edere, alterum alteri stimulos adhibere ad reparandum sua opera vel ope hoc templum dignitate primum totius orbis.

Papa igitur mox cogitans de remedio Isnardum honorarium Thebarum Archiepiscopum, ac suum Romae Vicarium cum magna pecuniae summa misit, ut Lateranense aedificium in pristinam

finam magnificentiam restitueret de Sæcul. XIV.
 consilio trium Cardinalium, quos modo A. C. 1308.
 nominavi, & quibus scripsit. Episto-
 lam ad Episcopum Tusculanum dabat
 Pictavii 11 Augusti. Scripsit etiam Ro-
 manis laudans pietatis studium, quod
 commonstrarent tam per reconciliatio-
 nes, ac opera poenitentiae, quam per con-
 structionem, cui universi sine discrimine
 ætatis, sexus, vel status, Nobilesque ac
 divites sicut alii manus admoverent: &
 illis alacritatem addendi gratia noxarum
 veniam impertiit.

Sub finem Augusti Clemens cum sua *Baluz. to. 3.
 curia Pictavio per Burdigalam & Agin-
 p. 66. 655.*
 num profectus Tolosam secundo intra-
 vit mense Decembri. Ibi cunctis ab
 ordinibus solennissime exceptus die Na-
 tali Domini in cathedrali S. Stephani
 templo rem divinam pontificio ritu per-
 egit. Habebat Tolosæ secum novem
 Cardinales, & usque ad festum Epipha-
 niæ diem illic permansit.

Isnardus Tacconius, quem Papa tunc
 Romam misit, erat Ticini natus, ac ex
 Ordine Prædicatorum. Anno 1302,
 cum per Burdigalam solus & incognitus
 in Lombardiam iter faceret, Clemens
 adhuc Archiepiscopus eum cœpit nosce-
 re, ac in magna necessitate sibi opitulan-
 tem habuit. Papa factus eum designa-
 vit suum poenitentiarium: deinde hoc
 T t 3 anno

Secul. XIV anno 1308 sub Pentecosten ei titulum
 A. C. 1308. Archiepiscopi Thebani, & an. 1311 Pa-
 triarchæ Antiocheni nomen, atque ad-
 ministrandum tribuit episcopatum Ticini
 urbis patriæ, ut haberet, unde viveret.

§. XXIX.

Doctor Joannes Scotus.

Hoc anno 1308 decessit vir celebris
 Joannes Scotus cognomine Doctor
 subtilis. Dunsii parva Scotiæ urbe in
 confiniis Angliæ ortus, cum Minorum
 Ordinem iniisset, Oxonii prosperrimam
 litteris operam dedit: tum Parisios de-
 latus, ibique an. 1305 jubente Contalvo
 Ordinis Ministro Generali ad primam
 productus lauream, postea Doctoris infi-
 gnia obtinuit. Afferuit SS. Virginem si-
 ne labe conceptam esse: qua de re ita
 loquitur. Communiter ajunt ingenitam
 illi fuisse primi parentis maculam hæ-
 reditariam: & affert hujus sententiæ
 argumenta; ad quæ pro virili parte re-
 spondet. Dein quæstionem sic decidit:
 Deus potuit facere, ut Virgo labem il-
 lam haberet nunquam, ut haberet uni-
 co puncto temporis; ut aliquamdiu ha-
 beret, ac ultimo momento purgaretur:
 & postquam rationibus confirmavit hæc
 tria potuisse fieri, concludit: Quid fue-
 rit factum, Deus scit: ac videtur æquum
 tribuere

Labbe scrip.

to. 1. p. 559.

Vading. an

1304. n. 24

to. 7. p. 91.

p. 94.